

1694 23
7
22

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
PERFECTISMO
REGENITIS AT-
TRIBUTO,

918/6

Qvem
Ex Rom. VII, 14. usque ad 25.
Adjuvante Summi Numinis Gratia,

SUB PRÆSIDIO
DN. IO. GEORGII
NEUMANNI,

S.S. Theol. D. ejusdemque Prof. P. Alumn.
Elect. Ephori, nec non Academiae Bibliothecarii,

*Domini, Patroni, Præceptoris ac studiorum suo-
rum Promotoris ad cineres usque submissee de venerandi,*

Ad D. XII. Maji, A. O. R. M DC XCIX.
publice respondendo oppugnabit

IO. NICOLAUS KEMPE,
Strallundenfis.

WITTENBERGÆ,
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.

1699

82
Laudatissimæ Stralsundensium Civitatis
INCLYTO SENATUI,

V I R I S

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultis-
simis, auctoritate pereximia ac multiplici rerum
usu admodum Conspicuis,*

DNN. CONSULIBUS,
DN. SYNDICO,
DNN. CAMERARIIS,

ET COETERIS

DNN. SENATORIBUS
PATRIÆ PATRIBUS
SUMME MERITIS,

DOMINIS, MECOENATIBUS AC
EVERGETIS SUIIS

*submissamente devotissimisque obsequiis
aeternum devenerandis,*

Nec non
VENERANDO MINISTERIO
ECCLESIASTICO,

V I R I S

*Summe- & Maxime Reverendis, Amplissimis,
Excellentissimis, Praclarissimis, insigni purioris doctri-
na, ac vera pietatis zelo maxime eminentibus*

DN.

SUPERINTENDENTI,
DNN. PASTORIBUS,

COETERISQVE

DNN. SYMMISTIS,

Vigilantissimis Meritissimisqve,

DOMINIS, PATRONIS, FAUTORIBUS
AC EVERGETIS SUIS,

*debito honoris & reverentia plusquam filialis
cultu, atatem prosequendis,*

IN. GRATI. ANIMI. TESSERAM.
ET. OBSERVANTIÆ. DOCUMENTUM.
HQC. STUDIORUM. ACADEMICORUM.
QVICQVID EST. SPECIMINIS.
TANTORUM. VIRORUM. GRATIAM.
EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA.
ULTERIUS. MIHI. CONCILIATURUS.
CUM PIO. OMNIGENÆ. FELICITATIS. VOTO.
SOLENNI. VETERUM. FORMULA.

D. D.

IPSORUM. INDIGENA. DEVOTISSIMUS.

IOH. NICOLAUS. KEMPE.



J. J.

PROOEMIUM.



T nihil prius, nihilque antiquius semper habuit humani generis hostis, quam ut victoris Christi calcaneum admorderet, ejusdemque dignitatem imminueret: ita statim sub initium Christianæ Religionis, partim humanam Christi Naturam in dubium vocavit, uti ejus instinctu Marcionitæ, Cerdoniani, Valentiniani, Appellitæ & alii Christo vel phantasma corporis, vel corpus saltem spirituale tribuerunt: partim divinam ejus Naturam inficiatus est, quod ipsius Johannis tempore Cerinthus & Ebionitæ, postea vero Arius, quem idcirco Hieronymus non immerito *Dæmonium Meridianum* vocat, aliique sunt ausi. Et quoniam per solam fidem cum Christo conjungimur, id omni conatu agit, ut aut satisfactionem Christi imperfectam esse proclamet, quod a Socinistis fieri in propatulo est; aut ejusdem universalitatem neget, quod faciunt Reformati, aut eidem bona opera adjungat, ceu de Pontificiis & Arminianis id constat. Vid. verba Limborchii apud Dn. D. Franckium, *in Exercitat. Anti-Limborch. Exerc. VII. c. II.* aut denique si Christo sub initium Conversionis honorem relinquit, tamen postea opera assuere satagit, & ceu necessaria ad conservandam fidem urget, quod Weigeliani aliique Fanatici docent. Quia autem Scriptura Sacra, imprimis D. Paulus *Cap. VII. Epist. ad Rom.* operum

imperfectiōnem etiam post justificationem, perspicue exponit, hinc caput istud illis sudes est in oculis, contra quod nihil non moliuntur. Impugnant enim illud, ac Paulum de se ut adhuc irrogenito loqui contendunt non tantum Pontificii, sed & F. Socinus peculiari Disput. sub nomine *Prosperi Dysidæi* anno 1582. edita, ejusdemque *Apologia* anno 1595. contra Anonymum quendam emissa, tum & Jacobus Arminius in *Dissert. de vero & genuino sensu Cap. VII. Epist. ad Rom.* Quos omnes infelici ausu sequuntur moderni Novaturientes, a quorum falsis glossematis istud, prout Deus mihi vires indulserit, vindicaturus sum. Equidem non nescio, rem esse magni momenti, & & quæ juvenis ingenium forsan excedat: attamen divino confusus auxilio, rem etiam difficilem aggrediar, nec quicquam moliar, sine implorata summi Numinis gratia, quam & nunc mihi ardentissimis precibus exoro.

TEXTUS.

Rom. VII, 14. seqq.

14. Οἶδαμεν γὰρ ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστίν· ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι, πεπραμένον ὑπὸ τὴν ἀμαρτίαν.

15. Ὁ γὰρ κατεργάζομαι ἔγινώσκω· ἔγινώσκω δὲ θέλω τὸ πρᾶξω, ἀλλ' ὃ μισῶ τὸ ποιεῖν.

16. Εἰ δὲ ὃ θέλω τὸ ποιεῖν, σύμφημι τῷ νόμῳ ὅτι καλός.

17. Νυνὶ δὲ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἢ οἶκῶσα ἐν ἐμοὶ ἀμαρτία.

18. Οἶδα γὰρ ὅτι ἔτι οἶκῶ ἐν ἐμοὶ, τὰ τέσσαρα ἐν τῇ σαρκί.

σαρκί μου, ἀγαθόν· τὸ γὰρ θέλειν παράκειτά μοι,
τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλόν, ἔχ' εὕρισκω.

19. Οὐ γὰρ ὁ θέλω ποιῶ ἀγαθόν, ἀλλ' ὁ ἔθέλω
κακόν, τῆτο πράσσω.

20. Εἶδὲ ὁ ἔθέλω ἐγὼ τῆτο ποιῶ, ἔτι ἐγὼ κα-
τεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἢ οἶκῃσα ἐν ἐμοὶ ἀμαρτία.

21. Εὕρισκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν
τὸ καλόν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακόν παράκειται.

22. Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τῷ Θεῷ κατὰ τὸν
ἔσω ἄνθρωπον.

23. Βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀν-
τιπραευόμενον τῷ νόμῳ τῷ νοός μου, καὶ ἀχμαλω-
τίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἀμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς
μέλεσί μου.

24. Ταλαίπωρ ὁ ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ρύσε-
ται ἐκ τῷ σώματι τῷ θανάτῳ τῆτι;

25. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ Κυρίου
ἡμῶν. Ἄρα ἐν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοῷ ὀδύω νόμῳ
Θεῷ, τῇ δὲ σαρκί, νόμῳ ἀμαρτίας.

§. I.



Edro digna sunt D. Hipponensium Praesulis verba:
*Hac vera regenerantium est perfectio, si se imperfectos esse
agnoscant. Et sane rationes hujus effati gravissimas
habuit, respiciens haut dubie ad superbam Pelagii
aliorumque gloriationem, qui in operibus suis ne-
scio quam sanctitatem quaerebant. Hos igitur nervoso hoc a-
prophtegmate refutat, imperfectionem nostrae regenerationis si-
mul insinuans. Non enim putandum est, quod regeneratio in
hac*

hac vita fiat absolute perfecta; fit enim tantum ex semisse, non ex asse, idque non culpa Dei, sed nostræ per lapsum Adami depravatae naturæ vitio. *Non enim carnem & sanguinem abolet, uti loquitur B. Mylius Comment. in Epist. ad Rom. sed gratiam & Spiritum ei adjungit, qui quod vitiosum est, emendet ac paulatim pro modulo unumquemque perficiat.* Atque hujus rei vivum exemplum in D. Paulo deprehendimus, qui imperfectionem suam gravissimis iisdemque maxime querulis verbis deplorat. Unde Augustinus *Serm. 43. de Tempore* scribit: *Apostolus tibi constituit ante oculos pugnam suam, ne tu timeas tuam.* It. *Vide Apostolum pugnans, & noli te facere desperantem.* Hanc igitur Pauli omniumque Renatorum imperfectionem ulterius considerabimus.

§. II. Acturi autem de regenitis, Definitionem ante omnia expediendam esse existimamus. Per *Regenitum* igitur nihil aliud intelligimus, quam *hominem, qui per fidem in Christum ejusque meritum, justus coram Deo reputatus, vires agendi spirituales per media a Deo ad salutem hominum destinata accepit, ac in studio B. O. magis magisque perfectior redditur, licet ad omnimodam perfectionem in hac vita pervenire nequeat.* Vel brevius: *Hominem ex statu iræ in statum gratiæ, ex statu peccati in statum vite spiritualis translatum.* Atque hinc patere arbitramur, nos vocem *Regeniti* hic in latitudine quadam adhibere, ita ut præter regenitum stricte sic dictum, etiam includat & justificatum & renovatum: quo sensu aliquando Formula Concordiæ, Chemnitius item, aliique nostratum *Regenerationis* vocem adhibent.

§. III. Ne vero cæco Andabatarum more pugnemus, verus subjungendus erit *Controversiæ* status, ac τὰ μὴ ζητούμενα ἀπὸ τοῖς ζητούμενοις diligenter distingvenda. Non igitur quæritur (1.) *An Paulus fuerit Renatus?* Id enim extra omne dubium positum est. Dicitur enim *electum Dei organon Act. IX. 15.* ac de se ipso confirmat, *quod Spiritum Dei habeat 1 Cor. VII, 40.* Nec (2.) quæritur: *An Paulus renatus, quæ renatus, seu in sensu reduplicativo acceptus peccarit?* Ad quod diversimode responderi potest. Si enim reduplicatio pertinet ad statum renati affirmanda est quæstio; sin ad principium status negatur; a Spiritu enim non est peccatum. Cum enim peccatum & regeneratio plane sint opposita,
im-

impossibile est, ut in eodem subjecto eodem respectu coexistant. Renatum equidem peccare non negamus; at renatum quia talem peccare, inficiamur *ex 1. Jo. III, 9.* Duo enim in homine regenito principia, prævia Scriptura agnoscimus: alterum *carnale*, s. peccatum originis, alterum *spirituale*, s. semen verbi, ex quo regeneramur: atque hæc ἀντικείμενα ἀλλήλοις *Gal. V, 17.* imo ἀντιπρατευόμενα sunt *h. t. v. 23.* Sicque homo tam non potest peccare ex principio spirituali, quam regenerari non potest ex principio carnali. Nec (3.) quæritur: *An Paulus peccata proæretica commiserit?* Id enim nec de tanto Apostolo putandum est, nec cum statu regenerationis consistere potest. *Qui enim facit peccatum (scil. proæreticum) est servus peccati. Io. VIII, 34.* *Qui vero ex Deo natus est, non peccat (pariter cum proæresi) l. c. imo nec potest per rationem modo adductam.* Nec (4.) quæritur: *An Paulus tantum peccata involuntaria commiserit?* Quamvis enim concedamus, Apostolum *v. 7.* agere de concupiscentia ejusque motibus primis, quorum cognitio tantum per Legem habeatur, tamen cum *h. l.* de Paulo peccante disputamus, non tantum motus primos & peccata involuntaria intelligimus, sed & motus secundos & peccata voluntaria; quod innuunt verba Apostoli *Rom. VII, 15. 16. 17. ποιῆν, πράττειν, καὶ κατεργάζεσθαι*, quæ potentem aliquam operationem notant, ac voluntarium quid subincludunt. Sed (5.) Quæstio est: *An homo renatus peccet?* Seu ut pressius loquamur: *Utrum Subjectum Capituli VII. Epist. ad Rom. a v. 14. usque ad finem, sit homo renatus, seu Paulus regenitus?* Negant hoc cum Socinianis & Arminianis Pietistæ: Nos affirmamus, certis ac immotis nixi fundamentis, quæ Scriptura unica veritatis norma nobis suppeditat.

§. IV. Primam igitur affirmationis nostræ rationem desumimus *ex Scopo Textus.* Scopus enim generalis totius Epistolæ ad Rom. duobus præcipue momentis includitur (1) de Justitia fidei (2) de renovatione seu studio B.O. Equidem B. Brentius *in Comment. in Epist. ad Rom. p. 39.* tres partes constituit: *Hæc Epistola, inquit, constat tribus partibus: Una de Fide, altera de Spe, tertia de Charitate.* At enimvero duæ posteriores rectissime ad generaliore de renovatione titulum reduci possunt, cum Spes & Charitas

B

sint

fint fidei necessarium consequens, adeoque parem ad eandem respectum inferant. Prius igitur membrum pertractat Apostolus usque ad *Caput IV. inclus.* Tum vero *Cap. V.* secundum Epistolæ scopum de Renovatione aggreditur, recensendo fructus fidei, ac *Cap. VI.* Romanos ad reprimendum peccati dominium ipsamque renovationem sedulo cohortatur. Ne autem nimio Legis, peccata aggravantis, rigore deterrerentur a studio B. O. ipsos a Lege per Christum liberatos esse *Cap. VII.* docet, usque ad *v. 6.* ac simul tacite tollit, quam quis movere poterat, objectionem: Si a Lege liberati sumus, ad quid opus habemus Lege? Differit enim de usu Legis apud irrogenitos in primis, qui est manifestativus peccati & iræ divinæ, usque ad *v. 14.* Tandem sequuntur verba Textus nostri, quibus Paulus continuat priorem sermonem de liberatione a Lege per Christum facta, ac ne quis eam nimium extenderet, quasi in hac vita ad peccandi immunitatem pervenire queamus, Romanos vivo suo exemplo consolatur, ac edocet, renatum quoad in hoc mortali corpore vivit, adhuc sentire reliquias carnis, ac invitum sæpius ab irritante concupiscentia ad peccatum trahi. Atque hic est Scopus specialis Textus nostri, quem deinde ulterius prosequitur *Cap. VIII.* Romanos admonens, ut, licet peccatum plane eradicare non possint, tamen suppressere carnem ope Spiritus, quantum in hac vita fieri potest, allaborent.

§. V. Nec alium Textus nostri scopum constituit B. Rungius, *Dispp. in Epist. ad Rom. p. 123.* ubi: *Hoc capite, inquit, (septimum intelligens) Apostolus doctrinam de Sanctificatione, de qua differuerat Cap. precedenti, partim ulterius declarat per liberationem a maledicto Legis, partim addita limitatione restringit, ne quis priorem disputationem eo detorqueat, quasi undiquaque perfecta & numeris omnibus absoluta sanctitas in hominem justificatum cadat, quoad mortalem hanc vitam vivit; quod negans Apostolus suo exemplo totam dissertationem egregie illustrat, & sibi perpetuum cum inharrente peccato bellum esse conqueritur. Quibus gemina habent B. Balduinus in b. l. & B. Calovius in Bibl. Illustr. N. T. p. 114.* Atque hinc per pronam facilemque apodixin probari potest, Novatores pervertere textum, ac contra mentem intentionemque Spiritus Sancti pugnare, dum Paulum hæc
de

de se ut adhuc irrogenito loqui asserunt. Quod si enim Aposto-
lus de se, ut adhuc irrogenito agit, quomodo perstabit Scopus
textus, qui est paræneticus imbecillitatis humanæ & reliquiarum
carnis etiam in renatis? Potuissent enim Romani Apostolum
fraudis arguere, statim regerentes: bene se rem habere; cum e-
nim tunc adhuc fuerit irrogenitus, ideo ipsum sensisse inordi-
natos carnis motus, nec perfecte fuisse sanctum; se autem & a-
lios, qui jam sint regeniti, non amplius peccare, sed Legem per-
fecte implere posse ob gratiam ac vires agendi spirituales in re-
generatione acceptas. Sane quid ad hæc talia respondere Apo-
stolus potuerit, non video. Ne igitur vel incogitantia, vel et-
iam malitia incusemus Apostolum, quorum alterutrum evitari
non potest, si Paulum de se ut irrogenito loqui statuamus, meri-
to hanc sententiam ad Auctores suos remittimus.

§. VI. Porro cum ad elucidanda Scripturæ loca in primis faciat
demonstratio τῆς συναφείας, juvat brevibus retrogredi in *Cap. V.*
& VI. Epist. ad Rom. Capite *V.* enim docet Apostolus, qua ratione
Christus nos a morte per mortem suam liberaverit: causam ita-
que mortis adducit peccatum, hujusque tum ortum & propaga-
tionem, tum quoque incrementa per accidens ex Lege facta
v. 20. recenset, & quemadmodum pulchra oppositione ubique
demonstrat, qua ratione vita rursus parta sit, ita ad peccatum
utpote causam mortis, ac Legem, ceu augmentum peccati spe-
ciatim progreditur, ejusque liberationem explicat; & de pecca-
to quidem agit *Cap. VI.* De Lege *Cap. VII.* Utrique nos esse mor-
tuos, ab utroque *κατηργηθῆναι* nos significat, *Cap. VI, 2. 6. VII, 4. 6.*
Et quemadmodum *Cap. VI.* nos ita a peccato liberatos esse dicit, *ut*
non regnet amplius in regnitis, non vero ut prorsus non adsit: Ita
Cap. VII. tradit, nos liberatos esse a Lege quatenus absolutam ac
tantum non Angelicam sanctitatem exigit, eandemque sub mor-
tis spiritualis comminatione injungit; quod ideo facit Aposto-
lus, ut homines de crebris peccati incursionibus anxios, atque
ob imperfectionem suam prope desperantes consoletur. Dicit
enim *v. 4.* nos esse mortuos Legi per Christum, adeo ut Lex non am-
plius possideat jus rigorem suum exercendi; nos enim jam cum
Christo esse, cui fructus feramus (quamvis etiam eo ipso, dum in

Christo sumus, non perfecte renovemur, sed *caro per peccatum mortua sit*, juxta Rom. VIII. 10.) Equidem cum adhuc irreginitus fuerit, *concupiscentias peccati efficaces fuisse ad fructus ferendos morti*, v. 5. ostendit, non quod Lex peccatum sit; cui objectioni statim occurrit a v. 7. usque ad 13. sed quod peccata interiora seu concupiscentiam pravam redarguerit. Jam vero in statu regenerationis dixerat; v. 6. *a Lege liberati sumus, dum mortua Lex est*, non in quantum nos normative dirigit, sed in quantum nos detinet & constringit, (*ἐν ᾧ κατεχόμεθα*) ut perfectam ipsi obedientiam etiam qua motus primos exhibeamus.

§. VII. Posita ita v. 6. thesi de liberatione a Lege, inserit ac diluit *objectionem* supra memoratam usque ad v. 13. qua resoluta v. 14. theses assertæ rationem reddit: nempe ideo regenitos esse liberatos a Lege, *quia Lex sit spiritualis* (quod probat particula causalis γὰρ); natura autem sua & omnium regenitorum carnalis & venundata sub peccatum, quæ ipsi invito & nolenti sæpius insurgat ac mala operetur v. 15. 19. 20. ita tamen ut consentiat Legi Dei v. 16. & quamvis aliam in membris suis Legem inveniat v. 21. tamen qua interiorem hominem delectetur Lege Dei v. 22. licet P. Originis quotidie reluctetur, ac ipsum captivum ducere conetur v. 23. unde tandem v. 24. facta exclamatione, liberationem desiderat; interim spem gaudiumque spirituale non abjicit, sed Deo grates exsolvit v. 25. Denique totam disputationem brevi quadam ἀνακεφαλαίωσεσι concludit, dicens: *Se mente servire Legi Dei, carne autem Legi peccati, ibid.* Ne quis autem putet, quasi ob hoc condemnetur, Cap. VIII. statim, *nihil damnationis in iis esse, qui in Christo Jesu sunt*, docet; hunc enim unice ad salutem sufficere, quem qui possideant, eos etiam spiritum ipsius habere, & qua spiritum renovari, secundum quem ambulent; Licet enim quoque carnem adhuc habeant, in qua nihil boni habitat, tamen ipsos non secundum carnem ambulare, quemadmodum hæc per totum Caput ulterius deducuntur. Hæc si quis attenderit, perspiciet, quam apte omnia invicem cohæreant, cum contra si Apostolum a v. 14. de se ut irreginito loqui, cum Novatoribus asseras, omnia sint hiulca & mutila tum ratione ipsius textus nostri, tum & ratione προηγασ-
μενων

μένων καὶ ἐπομένων. Neque opus esse arbitramur, ut ex singulis momentis argumenta pro veritate thesæ nostræ deducamus, cum illa cuius contextum hæctenus demonstratum penitus introspectanti ad oculum patere confidamus.

§ XIX. His itaque jam sic confirmatis, proximum erit, ut e textu *phrases* eruamus, quibus sententiæ nostræ veritas vindicetur. Ac (1) quidem occurrit pronomen ἐγώ, quod sexies in textu nostro reperitur, & fere ubique ἐμφατικόν τε includit. Inprimis autem cum insigni emphasi ponitur v. 17. & 20. ubi Apostolus per vocem ἐγώ expresse se ipsum distingvit a peccato in habitante, quod irreginitus non potest: is enim ipse facit peccatum, quia plenario cum consensu perpetrat. (2.) Phras̄is οἶδαμεν, ὅτι ὁ νόμος πνευματικός ἐστίν ad antecedentia respicit. Dixerat enim Apostolus, se nescivisse sub Pharisaismo constitutum, Legem tam perfectam & exquisitam obedientiam exposcere, adeo quidem ut & ipsa concupiscentia peccatum esset: quibus jam subiungit phrasin illam, quæ designaret statum præsentem regenerationis, in quo jam sciret, quod Lex sit spiritualis, *b. e. requirat spiritualia, non carnalia, non impleatur, quando opere ipso abstinens ab aliena re, aut uxore proximi; sed requirat Spiritum, id est, ne quid tale in corde tuo sentias, quo cupias rem alienam, quæ explicatio est B. Bugenhagii in h. l.* (3) ἐγώ δὲ σαρκικός εἰμι. Se ipsum igitur ut Carnalem Legi opponit, tanquam spirituali; adeoque dum se carnalem vocat, imperfectionem nostræ regenerationis insinuat. Duplici autem modo homines Carnales dicuntur. Alii enim sunt Carnales ex toto, qui peccato serviunt, ut mancipia, eodemque delectantur, ac carni plenarium obsequium præstant, quod faciunt irreginiti, de quibus ideo dicitur *quod sint in carne Rom. VIII, 8.* sicut & Apostolus de se ipso ut adhuc irreginito dicit: *Cum essemus in carne, Rom. VII, 5.* Item quod vivant & incedant secundum carnem Rom. VIII, 12. Alii vero sunt Carnales ex parte, qui impetum & irritamenta carnis quidem adhuc sentiunt, quæ tamen virtute Spiritus deplorant & reprimunt, quamvis & interdum in lucta superentur; & hi sunt regeniti. Cum enim plane impossibile sit, carnem in hac vita aboleri, necessario consequitur, hominem licet sit regenitus, adhuc ex parte manere carnalem

nalem, in quantum nempe pravos carnis motus & illecebras sentit. Carnalem igitur se dicit Apostolus, respiciens 1.] *naturam*; natus sum carnalis, carens Spiritu & vita Dei *Psalms. LI, 7. Job. III, 6.* 2.] *carnis reliquias*. Non enim omne, quod in me est, a Spiritu Sancto est, cum multæ adhuc superfint carnis vitiositates, ut in sanctis non Spiritus tantum, sed etiam caro locum habeant, teste *Matth. C. XXVI, 41. & Apostolo Gal. V, 17. Conf. B. Calovii Bibl. Ill. p. 122.* Notandum autem hic est, Apostolum ab hoc versu loqui in præsentem, adeoque de se ut jam regenito, quod innuunt verba *ἐμὶ, κατεργάζομαι, πῶ, θέλω &c.* cum in præcedentibus versibus ubique in præterito locutus sit, *ἔγνω, v. 7. ἢ δὲ ἰβὶδ. κατεργάσατο, v. 8. Conf. Varenii Paulus Evangelista Romanorum p. 289.*

§. IX. (4) Πισπραμένον ὑπὸ τὴν ἀμαρτίαν. His verbis insinuat Apostolus, se invitum & nolentem sub peccatum venundatum esse, phrasi a veterum more desumpta, qui vendere mancipia solebant. Non autem dicit, quod se vendiderit sub peccatum, quemadmodum de Achabo dicitur, quod se ipsum vendiderit (in Hithpael *הִתְמַכֵּר*) ad faciendum malum coram Domino, 1. Reg. XXI, 25. sed quod venditus sit sub peccatum. Distingvimus igitur cum B. Dannhauero in *Hermen. Sacrapag. 677.* inter venditionem passivam mancipii, quod vi rapitur ad forum, ut Josephus *Psalms. CV. 17.* ac servus debitor, *Matth. XVIII, 25.* & activam ejus, qui se ipsum vendidit ac prostituit. Paulus aliique regeniti dicuntur quidem venditi sub peccatum, sed venditione passiva, h. e. invitum a prava concupiscentia ad peccatum coguntur, & obtorto quasi collo trahuntur, ita ut semper reluctentur, nec spontaneum obsequium Domino suo præstent; cum irregeniti contra non tantum venditi sint sub peccatum, sed etiam se ipsos vendant, venditione activa, uti de Achabo Scriptura loquitur. Non igitur probamus Flacii Illyrici sententiam, qui *Clav. Script. pag. 1240.* confundere videtur venditionem activam cum passiva, dum utramque exponit, quod sit penitus in alienam potestatem tradere & dedere, sicut alia res aut etiam mancipia venduntur, in alienum jus arbitriumque prorsus deduntur. Rectius B. Balduinus in h. l. explicat: *Venditus, inquit, homo sub peccatum duplici modo dici potest, (1.) quate-*
nus

nus est mancipium peccati, quod totum ad nutum heri sui se attemperat, qui laqueis Diaboli captivi tenentur ad nutum eius 2. Tim. II, 26. (2.) quatenus natura corrupta sibi etiam in pios jus aliquod sumit, saepeque ad peccandum irritat, saepe etiam supplantat, quamvis reluctantes. Nihil igitur hac phrasi aliud indicare vult Apostolus, quam se a potestate peccati nondum plene esse liberatum, sed habere illud adhuc dominium aliquod in se, licet renatus sit, uti emptor mancipii in illud jus & potestatem habet.

S. X. (5) ὁ γὰρ κατεργάζομαι, ἔγνωσκω. *Vox κατεργάζεσθαι* h. l. nude posita intelligenda est de perpetracione peccati, ac singularem industriam habitumque peccandi notat. Vid. Crauserus *Phosphoro N. T. pag. 484.* γνωσκω autem vel notat *sensum*; atque sic conqueritur de intellectu suo, quod non probe cognoscat agenda, sed saepius rem malam sub ratione boni svadeat; vel etiam *affectum* & sic conqueritur de improbitate & seductione carnis, quæ ipsum impellat ad agendum talia, quæ ipse postea non approbet. Utrumvis significatum salva textus veritate eligere licet. Id igitur vult hac phrasi Apostolus, se licet regnitum non omnia dijudicare, sed interdum caeco impetu rem aggredi, quam postea ipse non probet. (6) ἔ γὰρ ὁ θελω, τῆτο πράσσω. Insinuat hic diversitatem carnis & spiritus; se enim, quod velit secundum spiritum, non agere ob pravitatem carnis, quæ concupiscit adversus Spiritum Gal. v. 17. ubi ferme eadem verba leguntur: ἵνα μὴ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. (7) εἰ δὲ ὁ ἔ θελω τῆτο ποιῶ, σύμφημι τῶ νόμῳ, ὅτι καλός. Id sane irrogenitus dicere non potest. Præterquam enim, quod plenaria voluntate facit malum, non invitus, uti Apostolus, qui quæ non vult agit; quis diceret, irrogenitum consentire Legem esse bonam, cum potius oderit eam, ac detestetur, imo optet, nunquam exstitisse. (8) νυνὶ δὲ ἔτι ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτὸ, ἀλλ' ἡ οἰκῶσα ἐν ἐμοὶ ἀμαρτία. Notanter dicit, ἔτι, non *amplius*, respiciens haut dubie ad statum præteritum, cum fuerit irrogenitus; tunc enim se ipsum perfecisse malum & quidem cum plenaria voluptate. Nunc vero cum sit regnitus, non amplius id se ipsum perpetrare, sed τὴν οἰκῶσαν ἐν αὐτῷ ἀμαρτίαν, h. e. pravam concupiscentiam, quam sic vocat, quia a prima statim nativitate nobis inhæret, ac domicilium

cilium quasi in nobis ponit, nec a nobis nisi post beatam animæ corporisque ἀνάλυσιν digreditur. Οὐκᾶσαν autem nominat, non βασιλεύσαν, quæ in irrogenitis tantum locum habet; unde & Romanis C. VI. 12. scribit: μὴ ἐν βασιλευτέῳ ἡ ἀμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ἡμῶν σώματι. Operari autem dicitur peccatum, uti oculus videt & auris audit. *Sicut enim anima per aurem audit, per oculum videt: Ita anima per Peccatum Originis vel concupiscentiam pravam irrogenatis operatur ea, quæ Spiritui non placent, interprete August. de genes ad lit. Lib. X. Cap. 12.*

§. XI. (9) Οἶδα γὰρ ὅτι ἐκ οἰκῆ ἐν ἐμοὶ (τετάρτῳ ἐν τῇ σαρκί μου) ἀγαθόν. Non sine emphasi dicit οἶδα, h. e. penitus & certo scio, nempe ego, qui spiritum Dei accepi ac peccata ex Lege jam agnovi. Cum vero loquitur de τῷ ἐκ ἀγαθῷ, semet in habitante, haut dubie respicit ad pravam concupiscentiam, de qua & versu præcedente egit. Summa vero cum circumspectione sermonem suum restringit ad carnem, eo ipso hominem regenitum in duas quasi partes dividens nempe carnem & spiritum seu ut alias loquitur, in hominem veterem & novum, exteriorem & interiorem. Per carnem autem intelligit non substantiam Carnis corpoream, quæ templum Spiritus Sancti dicitur 1. Cor. VI. 19. nec tantum appetitum sensitivum, quem etiam irrogeniti habent, sed omne id, quod non regeneratum est, quæ explicatio est B. Balduini Comment. in h. l. Ceterum quod vox carnis phrasi Scripturæ solita sumatur pro toto homine, non quidem juxta substantiam, sed qualitates, quatenus nempe caro per lapsum protoplastorum depravata est, probat locus classicus Job. III, 6. Atque sic vocem hanc commodissime exponi posse arbitramur, ut sensus verborum Apostolicorum sit: Scio, quod in me, h. e. in carne mea (seu in corrupta natura mea) non habet bonum. (10.) Τὸ γὰρ θέλει παράκειναι μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν, ἐχ' εὐρίσκω. Dicit, se velle bonum, voluntate scilicet non nudæ complacentiæ, sed efficacis etiam operationis. Atque illud velle non est in potestate hominis, aut ab homine acquiri potest propriis viribus, sed a Deo ipsi in regeneratione conceditur. *Ille enim est, qui operatur velle & perficere, Philipp II, 13.* Equidem irrogeniti etiam volunt bonum, v. c. vitam æternam: sed est saltim velle externum &

& morale, h. e. eam non rejicerent, si sine molestia possent impetrare; non internum ac spirituale, quale erat in Apostolo, qui idcirco ingemiscebat, se illud, quod velit, perficere non posse. Tum vero voluntas ea irrogenitorum etiam est inconstans, ac magis ex metu pœnæ, quam amoris præceptorum divinorum oritur; imo bonum saltim naturale vel etiam morale respicit. Conf. B. Meisneri *Anthropol. Dec. I. Diss. VIII. Quest. I. pag. 260.* Ceterum per τὸ παράκειμαι significat τὴν προθυμίαν πνεύματος, *Matth. XXVI, 41.* hoc sensu: *Velle equidem adjacet mihi, ex ea parte, secundum quam sum regeneratus, nempe secundum Spiritum; interim τὸ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν, h. e. bonum illud perfecte operari non invenio, quia scilicet adhuc ex parte carnalis sum, ac peccatum inhærens mecum circumfero.*

§. XII. (II.) Εὐρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θελοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειμαι. Per νόμον h. l. nihil aliud intelligit, quam corruptam naturam suam, quam alias σάρκα v. 18. nec non νόμον ἁμαρτίας v. 25. item νόμον ἐν τοῖς μέλεσι v. 23. vocat. Ac uti Vocabulum Legis usurpat pro omni eo, quod actiones moderatur & dirigit, sic etiam h. l. carnem ea voce adpellat, quia & illa actiones malas præscribit, ac tantum non injungit. Ea igitur mens est Apostoli, *invenire se Legem, h. e. necessitatem quandam peccandi ex naturæ suæ corruptione ortam, quo minus bonum, quod velit, secundum Spiritum, perficere possit, ideo, quia sibi malum, i. e. prava concupiscentia, adjaceat, quod antea v. 18. se inhabitare dixerat.* (II.) Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον. Qui hæc de regenerito non intelligit, illum in ipso sole cæcutire crediderim. Delectari enim Lege Dei est regenitorum, utpote de quibus dicitur, *quod in ea voluptatem habeant Psalm. I, 2. Psalm. CXIX, 77. 103.* Irregeneriti contra tantum abest, ut delectentur Lege, ut eam potius aversentur atque ceu rigidum judicem timeant. Neque vero delectatio intelligitur tantum nuda vel otiosa, sed talis, quæ studium vivendi secundum normam Legis includit, cum necessario consequatur, ut qui ex animo Lege delectetur, eidem pro virili satisfacere studeat. Cum autem interioris hominis facit mentionem, tacite oppositionem infert ad hominem exteriorem, seu corruptam naturam suam. Perplacet

cet interea hic regula B. Hülsemanni, quam habet in *Vindic. Script.* pag. 42, *Homo interior exteriori oppositus semper significat statum regeneratum Rom. II, 29. 2. Corinth. IV, 16. Eph. III, 16.* Sensus igitur verborum Apostoli huc redit: *Se delectari Lege Dei quoad interiorum hominem, h. e. quatenus jam fit regeneratus ac Spiritum Dei possideat; nam quia exteriorum hominem, qui denotat carnem & statum peccati, se eidem reluctari ac rebellare.*

§. XII. (13.) βλέπω δὲ ἕτερον νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου, ἀντιπρατευόμενον τῷ νόμῳ τῆς νοῦς μου. Uti statim ab initio textus verbis emphaticis ac sublimioribus usus est Apostolus, ita hoc quoque versu phrasas splendidas ac metaphoricas usurpat, partim a militia, partim a captivitate desumptas. Atque hic versus centrum quasi & anima est totius querelæ Apostolicæ; unde & statim post eundem in lamentabilem exclamationem erumpit. Ceterum duo contraria sistit principia, Legem membrorum ac Legem mentis, quæ inter se pugnent ac dubio sæpe eventu concertent. *Per Legem autem in membris* non intelligit tantum inordinationem appetitus irrationalis, sed originale peccatum, homini post lapsum firmiter ac per modum habitus insitum, omnesque ejus vires corrumpens; quod *Legem* vocat, quia Legis instar suadet, præcipit ac obligat. Dicitur vero *Lex in membris*, quia potissimum per membra corporea, tanquam organa se exerit. Non tamen sola membra externa indicantur, sed etiam facultates animæ rationalis, quæ per analogiam membra dici possunt, quia vetus homo in illis subsistit, ac per eadem, uti anima per membra corporea solet, operatur. Verbo: *per Legem in membris* intelligit id, quod alias vocat *carnem v. 18. Gal. V, 17. Legem peccati, v. 25. veterem hominem Col. III, 9.* quæ omnia depravatam hominis naturam indicant. *Lex Mentis* igitur, vi oppositionis notat *hominem renovatum* aut ipsam renovationis gratiam, quam alias dicit *Spiritum Rom. VIII, 1. hominem interiorem v. 22. hominem novum, Col. III, 10. Eph. IV, 24.* Vocat autem *Legem mentis*, quia regeneratio intus potissimum fit, nec in exteriorum actum deducitur, uti prava concupiscentia, quæ propterea *Lex in membris* appellatur. Est enim regeneratio insensibilis juxta *Job. III, 8.* Insigni autem cum elegantia utitur vocabulo ἀντιπρατευόμενος, quæ vox notat

notat repugnare vel reluctari, cujus emphasin egregie exprimit B. Wellerus Fascic. Viventium pag. 53. Das Fleisch/Vernunft und alles/was am verderbten natürlichen Menschen ist/ streitet wie ein geharnischter Mann wider den Geist. Atque hæc est illa pugna Carnis & Spiritus, quam peculiari Disputatione ex Gal. V, 17. B. Joh. Meisnerus delineavit, constituendo (1.) Duces utriusque exercitus (2.) Certamen ipsum (3.) Campum, in quo bellum geritur (4.) Tempus (5.) eventum belli, qui est vel mors, vel certissima victoria, & salutis æternæ palma. (14.) Καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ τῆς ἀμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου. Αἰχμαλωτίζειν notat violento quodam modo seu terrore cuspidis quendam capere: quia eleganti phraseologia ideo utitur Apostolus, ut ostendat, se invitum ac nolentem in captivitatem peccati abduci, cum irregenti sponte sua in illam ruant. Per νόμον autem τῆς ἀμαρτίας intelligit necessitatem peccandi absolutam, non sibi solum, sed omnibus etiam renatis post lapsum adhaerentem; unde & vocat Legem peccati existentem in membris suis, quippe per quæ maxime elucescit. Pereleganter ac graviter verba hæc Apostoli explicat B. Lutherus Hauspostill. p. 137. Mit uns wirds nimmermehr dahin kommen / daß wir alles thun / was wir thun sollen / wie S. Paulus saget: Ich habe Lust am Gesetze Gottes nach dem inwendigen Menschen / ich seh aber ein ander Gesetz in meinen Gliedern &c. das ist so viel gesaget: Ich muß thun was das Fleisch wil / aber nach dem Glauben thue ichs nicht / sondern es ist mir leyd / bin nicht gerne so gefangen.

§. XIV. (15.) Ταλαίπωρ ἔγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσειαι ἐκ τῆς σώματ' τῆς θανάτῃς τῆς. Hoc σενασµῶ miserabilem eandemque invitam peccati captivitatem serio detestatur, ac liberationem ex ea hinc mœrore, hinc desiderii affectus, facta tristissimâ exclamacione exoptat. Utitur autem voce ταλαίπωρ metaphorica, similitudine a Lapidicinis petita, in quibus misere tractantur laborantes; ὁ πῶρος enim lapis grandior est, uti habet Erasmus Smidius in Annot. in N. T. p. 1011. Indicatur autem h. l. per eam homo miser lugens, non de ipsa vita spirituali, quam ut regenitus accepit, sed de imperfectione ac peccaminositate sibi in hac vita adhaerente; inprimis autem de tragico illo Carnis & Spiritus con-

fiectu, qui licet sit *τελευτήριον* gratiæ sanctificantis, tamen homini ærumnosus videtur, quippe qui ad perfectionem contendere anxie desiderat. Hinc quod facere solent, qui perturbati sunt, interrogationem format Apostolus: *Quis me liberabit a corpore huius mortis?* Quid per *σῶμα τῆς θανάτου τῆς τῆς* intelligendum sit, in eo Theologi non satis conveniunt. Bugenhagius in h.l. illud explicat de carne seu peccato ipso, quod sic dicatur, quia per illud mors introiit in mundum, Rom. V, 12. quemadmodum & H. Grotius annot. in h.l. non ipsum corpus mortale, sed peccaminosum aut peccatum ipsum intelligit, quod *corpus* dici potest, quia fixi aliquid est, non leve accidens. Atque hæc interpretatio duplici ratione defendi potest, tum quod peccatum sit causa mortis, tum quod sit ipsa mors spiritualis. B. Mylius autem in Comm. in Ep. ad Rom. Corpus peccati appellat *corruptam & vitiatam naturam, cum qua conflictetur*; quam sententiam amplectitur B. Calovius in *Bibl. Ill. p. 128.* istam epigramm addens: Non ergo Apostolus mortem optat, quod vel imprudentis vel impatientis foret. Diversum autem sentit B. Balduinus, qui *corpus mortis* idem esse asserit, quod *mortale*: quo cum facit B. Lyserus in *Syst. Thetico-Exeget.* (in quo edendo Magnif. Dn. Præses immortalem nomini suo famam conciliabit) qui p. 661. *Corpus mortis, ait, idem ac mortiferum, quod morti ob illam peccati inhabitantis radicem & ejus perpetuam operationem sit obnoxium juxta Genes. II, 17.* Unde liberari a Corpore mortis idem esse, dicit, ac per beatam mortem corpus illud deponere, quod quamdiu ei conjuncta est anima, non potest non peccare ob radicem illam pessimam pessimos semper surculos producentem. Quamvis autem in tanto sententiarum divortio certam eligere sit difficile, in eo tamen omnes conveniunt, Apostolum expetere liberationem a peccato, quod quia cum natura humana arctissime conjunctum est, perinde est, sive a corpore peccati, sive a corpore mortali, sive a depravata natura liberationem anhelasse Apostolum dicas, cum omnia hæc quæ conceptum objectivum coincidunt, saltem diversos conceptus formales nobis sistant. Ceterum sermo hic non est desperabundi, quia statim *v. seqv.* gratias agit Deo, sed hominis regeniti, peccata agnoscentis ac liberationem ex iisdem a Deo petentis. Prius pertinet ad contritionem: posterius ad
Fi-

Fidem; quorum neutrum cum in irrogenitum cadat, necessario concedant Adversarii, Apostolum de se ut renato hic differere.

§. XV. (16.) Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Sic tandem ex gravissimo luctu emergit, ac lætum quasi ἐπιώνκιον intonat Apostolus, hoste suo jam feliciter non quidem virtute propria, sed vi meriti Christi per gratiam Spiritus Sancti represso. Atque hic est character regeniti, qui uti omnia Dei beneficia grato animo deprædicat, ita in primis liberationem a peccato per Christum factam, quæ ἀπολύτρωσις Eph. I, 7. vocatur, celebrat ac cum tripudio extollit. Irrogeniti contra, quorum mens est excæcata, quiqve alieni sunt a vita, quæ ex Deo est, Eph. IV, 18. cum benefacta summi Numinis non agnoscant aut digne satis æstiment, tantum abest ut cum quadam animi voluptate eadem collaudent, ut potius æterna oblivione involvant.

§. XVII. Ἄρα ἂν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοὶ δαλεύω νόμῳ Θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ νόμῳ ἀμαρτίας. Verba hæc sunt συμπέρασμα quoddam totius Dissertationis Apostolicæ, ad quod illa, quanta quanta est, reduci potest. Notandum autem est, Apostolum post factam solennem gratiarum actionem, nihilominus dicere: *Se carne servire Legi peccati*; quo ipso insinuat, etiam post regenerationem adhuc remanere carnis reliquias, quæ se & alios regenitos ad peccandum impellant. *Servire autem Legi Dei*, non est servilem cultum ei præstare, quem rigor Mosaicus exigebat, quippe a quo per Christum liberati sumus; Sed denotat spirituali cultu Deum prosequi *non in vetustate literæ, sed in novitate Spiritus*, uti loquitur Apostolus v. 6. At *Servire Legi peccati* h. l. est peccato obsequium præstare non quidem plenarium ac totale, quod est irrogenitorum; sed semiplenum, quod cum reluctantiâ conjunctum est.

§. XVI. Quare ut quæ fufius hæctenus dicta sunt, in compendium redigamus, melioris perspicuitatis gratia e textu nostro sic argumentamur:

Cuicunque competunt prædicata renati, is haut dubie etiam est renatus.

Atque Apostolo. &c. E &c.

De Majori ex sobria philosophia constat. Minor ex textu probatur: Apostolus enim dicit (1) se velle bonum, nolle malum v. 15. 19. 20.

(2) se

(2) se consentire, Legem esse bonam v. 16. (3) Non se ipsum operari malum, sed peccatum inhabitans, v. 17. 20. (4) Delectari Legge Dei, v. 22. (5) Habere interiorem hominem, *ibid.* (6) sentire luctam carnis & Spiritus, v. 23 (7) agnoscere peccati gravitatem v. 24. ac (8) liberationem a captivitate peccati expetere, *ibid.* (9) Gratias agere Deo v. 25. ac servire Legi Dei, *ib.* Quæ omnia cum irrogenito tribui nullo jure possint, merito exinde cum B. Lysero. l. c. colligimus: *Quod. P. O. (& per consequentiam fructus ejus, peccata actualia) adhuc reliqua sint in renatis, Paulus h. l. demonstrat. Nos enim pro litera tamdiu stamus & pugnamus, quamdiu non demonstratur, hæc omnia attributa non solis renatis competere.*

§. XVII. Uti autem omnia scripturæ oracula explicanda sunt κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως, quod monitum est Paulinum Rom. XII. 7. ita & nobis textum nostrum interpretantibus incumbit, demonstrare hanc, quam dedimus, expositionem, atque ex eadem fluens porisma: *quod renati peccent*, analogiæ fidei minime adversari, sed potius ab eadem urgeri. Ipsam enim renovationis imperfectionem non tantum Scriptura sacra variis argumentis adstruit, sed & universa orthodoxa Ecclesia unanimi semper consensu professa est. Etenim quemadmodum Sp. S. id unice intendit, *ut Christum glorificet* Ioh. XVI. 14. ita omnia quoque quæ hanc glorificationem impediunt, nempe perfectionem bonorum operum &c. removet, quo soli Christo gloria relinquatur, qui nos per fidem non vero per B. O. tum justificare, tum & in justificatione conservare usque ad finem vult. Non enim tantum ἀρχηγός sed & τελειότης τῆς πίστεως est, juxta Eb. XII. 2. Fides autem a Deo ordinata est, ut sancti fiamus justitia imputativa, non inhæsiiva, *ne quis gloriatur*, Eph. II. 9. Quisquis ergo fidem tantum respicit, ut medium, quo vires accipiat sancte vivendi, fundamentum fidei relinquit, quod est solus Christus, in quo non tantum sub initium, sed & sub finem vitæ acquiescere debebat. Certe quotquot operibus suis inhiantes, in iisdem justitiam quærunt, *Christum, qui justitia nostra est* Ierem XXIII. 6. amittunt. Quod probe intelligens D. Paulus averfatur omnia sua B. O. *damnum judicans & stercus, ut Christum lucretur*, Phil. III. 8. Imo omnes, qui etiam si Christum non abjiciant, tamē in operibus sanctitatem quærunt ac per eadem justifi fieri

fieri coram Deo contendunt, Christum amisisse ac gratia Dei excidisse pronunciat, Gal. V. 4. Atque hinc patet, verba sunt B. Havemanni Tr. de Christianismo pag. 78, 79. quod puritas articuli de justificatione cum illa renatorum perfectione, quæ ex operibus & renovationis fructibus originem trahit, nunquam consistere possit. Ita enim Christum post primam redemptionem prorsus faceremus otiosum, quasi non sit, maneatque justitia nostra. Ita etiam justificatio partim in Christo, partim in nobis quaereretur. Si autem a nobis etiam dependet, semper sane sub ancipiti hærebit justitia nostra, utpote semper nutans & incerta ac salus æterna periclitabitur.

§. XVIII. Tum vero renatos peccare, ex impossibilitate implendi Legem, quam non uno in loco exponit Scriptura Sacra, ad oculum demonstrari potest. Quod si enim nemo mortalium Legem implere potest, sequitur, quod etiam nemo mortalium, ne renatis quidem exceptis, sine peccato esse queat. Impleri autem Legem a nemine posse Synodus Apostolica Act. XV, 10. demonstrat, vocans illam, jugum & sibi & Patribus ἀβάσκητον, respectu magis facta ad Legem Moralem, quam ad Ceremonialem, quæ in nudis tantum ceremoniis externis consistebat, adeoque non adeo erat ἀβάσκητον. His paria docet Paulus Rom. VIII, 3. Quod impossibile inquit, erat Legi, in quo infirmabatur per carnem id fecit Deus, & misit Filium in similitudine carnis peccati &c. Audiamus hic B. Hülsemannum in Praelect. ad Breviar. p. 1207. In hoc dicto, ait, expresse ponitur τὸ ἀδύνατον non de impossibilitate impiorum, nec de impossibilitate quorundam temporali, sed de perpetua impossibilitate in hac vita, & imperfectione omnis impletionis Legalis. Præterea Christus non tantum ipse Paracletus est, sed & alium ad nos mittit paracletum, qui nos consoletur adversus minas Legis Job. XIV, 16. Si quis igitur hac viva scaturigine contentus non est, sed sibi effodit fontes aquis destitutos (perfectionem in operibus suis post regenerationem quaerens) siti inextinguibili torquetur Jerem. II, 13. Nunquam enim absque peccato in hac vita esse possumus. Quod si enim dixerimus, peccatum non habemus, decipimus nos ipsos, 1. Job. I, 8. quibus verbis peccato pro simplici lapsu accepto, fideles quamdiu in mundo agunt, per infirmitatem labi posse ostenditur, sic tamen ut peccato non consentiant, sed cum gemitu illi reluctentur, uti loquitur B. Mylius Exeg.

in A. C. art. XII. pag. 176. Unde David haut dubie regeneritus *Psal. XIX, 13.* exclamat: *Delicta quis intelligit? ab occultis me munda, Domine.*

§. XIX. Porro quid lucta Spirituali opus esset, ad quam hortatur Apostolus *Gal. V. 17.* si caro non foret in regeneritis, quæ Spiritui resistat? quomodo caro crucifigi possit cum suis concupiscentiis, facta totali ejus abolitione? Adscribi hic merentur verba Megalabri nostri, quæ habet *in Comm. in Epist. ad Galat. Cap. V. 17. pag. 156.* Hic locus clare testatur, Paulum ista scribere sanctis, hoc est, Ecclesie credenti in Christum, baptizatae, justificatae, renovatae & perfecte habenti remissionem peccatorum; & tamen dicit eam habere carnem luctantem contra Spiritum Conf. Tom. II. Isleb. ap. Dannh. in Hodof. p. 955. Neque opus foret Spirituali armatura, quam Apostolus describit *Eph. VI.* si quidem simpliter post regenerationem essemus ἀναμαρτυροί. Nec sanctis ob remissionem peccatorum ullæ fundendæ essent preces, quod est contra *Psal. XXXII. 6.* *Matt. VI. 12.* insuper nullæ calamitates, nullæ afflictiones piis immittendæ essent. Vel enim hominibus ob debitam peccatorum castigationem, vel ob carnis mortificationem a Deo immitterentur. Cum vero juxta hypothesin Novatorum & omnium, quotquot operum perfectionem asserunt, caro & peccatum in regeneritis locum non habeant, sequeretur, quod piis nullæ afflictiones & pœnæ obveniant. Contrarium autem dispalescit *ex Jerem. XXX. 10.* ubi Deus diserte Ecclesiam suam regeneritam castigare dicitur, ne se innocentem arbitretur. Imo regeneritus ne mori quidem possit: sublato enim per Christum funditus peccato, ne umbra quidem mortis remaneret, cum mors sit stipendium peccati. Iam vero quemadmodum Christus reatum peccati quidem aufert, peccatum vero ipsum paulatim tantum imminuit, ita mortem quoque non ut pœnam reatus, sed ut ultimum peccati inhaerentis terminum superesse voluit etiam in iis, qui jam sunt regeneriti.

§. 20. Atque eadem hæc, quæ hæcenus diximus, universa orthodoxa Veteris æque ac N. T. Ecclesia uno ore semper docuit. Quis sanctior fuit Patriarchis servis & filiis Dei? & tamen hi ipsi eo quod peccatis infecti fuerunt, Messiam unice desiderarunt, qui ipsos consolaretur in ærumnis & miseriis suis, uti constat de paren-

parentibus Noachi, *Gen. V, 29.* & Abrahamo *Job. III, 56.* Jacobus vero moribundus in lectulo, etiamsi tot annos in statu regenerationis transegisset, nullam tamen in se perfectionem agnoscebat, ideoque unice exspectabat *salutem seu Jesum Domini Genes. XLIX, 18.* Moses vir sanctissimus non ad justitiam, sed unice ad misericordiam, bonitatem, clementiam ac patientiam Dei provocat, quia nemo, ne regenitus quidem innocens sit *Ex. XXXIV, 6. 7.* Jobus vir integerrimus, cujus pietatem nemo eorum, qui perfectam Legis impletionem & ἀναμάρτησιν urgent, assequi poterit, tamen se peccatorem coram judicio divino fatetur, & pœnitentiam agit in pulvere & cinere. Et quis omnes Davidis & reliquorum Prophetarum de imperfectione sua confessiones hic recensere posset? Unus instar omnium esse potest locus *Esa. LXIV, ubi v. 1. adventum Messiaë anxie efflagitat, v. 6. rationem hujus desiderii subjungens: Facti sumus ut immundi omnes nos (universaliter loquitur de Ecclesia), & quasi pannus menstruatae omnis justitia nostra.* Nec est, quod quis excipiat, hæc tantum in V. T. obtigisse, cum pii adhuc sub Lege Mosaica constituti fuerint. Nam & in N. T. Paulus, qui se exemplum proponit fidelibus *1. Cor. XI, 1.* multoties imperfectionem suam fatetur, imprimis *1. Tim. I, 15.* ubi inter peccatores se primum esse fatetur. Erat autem tum sine dubio in statu regenerationis jam constitutus, quia se credere dicit, *Christum Jesum venisse in mundum, ut peccatores servaret.* Imo postquam *v. 13.* de persecutione sua, qua cœtum divinum affecerit, locutus est, statim *v. 14. & 15.* de gratia Dei, de merito Jesu Christi atque de fide differit. Pariter Jacobus fratres suos *v. 2.* & regenitos secundum voluntatem Dei *v. 16.* alloquens: *Nemo dicat, inquit, quod a Deo tentetur; quilibet enim tentatur, cum a propria concupiscentia abstrahitur & inescatur, Cap. I, 13. 14.* Johannes vero filiolos suos adhortatur, *ne peccent;* si quis tamen peccet, ideo non desperandum esse docet, sed confugiendum ad paracletum & propitiationem nostram Christum, *1. Ep. II, 1.* ac *Cap. I, 8. 10.* de se & omnibus sanctis inquit: *Si dixerimus, peccatum non habemus: it. Si dixerimus, Non peccavimus, veritas in nobis non est, & Deum facimus mendacem.*

§. XXI. Nec dissentiunt in hoc argumento a Præceptoribus
D
fuis

suis discipuli. Ignatius certe in *Epist. ad S. Polycarpum*, p. m. 16. hortatur eundem πάντων τὰς νόσους βασάζειν καὶ μαθητὰς μᾶλλον λοιμωτέρως πραότητι ὑποτάσσειν. Ipsummet etiam Polycarpum dicit esse σαρκικὸν καὶ πνευματικὸν, ut quidem quæ manifesta sunt peccata emendet; quæ vero latent, manifestari sibi petat. Idem etiam tradunt sequentium seculorum Patres. Irenæus enim forte ad ipsum textum nostrum collimans: *Spiritualis*, inquit, cum Lex esset, manifestavit peccatum, non interemit, *Lib. III. cap. XX.* causam asserens esse residuam concupiscentiam, *Lib. V. hæres. Conf. loca ex Justino M. apud Bebel. Sec. II. p. 290.* Cyprianus quoque in *Orat. Domin. citat. in Apol. A. C. p. 129.* explicans petitionem quintam: Nemo sibi, ait, tanquam innocens placeat, cum innocens nemo sit, & se extollendo plus pereat; instruitur & docetur, se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Pari modo Epiphanius hæ. 64. ap. Scultetum *Medulla Patr. pag. 700.* scribit: Nunc postquam credimus & ad aquam purificationis devenimus, sæpe in peccatis reperimur. Nemo enim sic se a peccato alienum esse jactat, ut neque omnino in animo de peccato cogitet. Hieronymus *Dial. adv. Pelag. Lib. II. c. 1.* egregio simili utitur, quod ipsum etiam imperfectionem animæ nostræ arguit. Petit enim sibi dari corpus, quod nunquam languerit, aut quod post langvorem perpetua sanitate securum sit, & se daturum esse animam pollicetur, quæ nunquam peccaverit, nec post virtutes deinceps peccatura sit. Simili ratione Augustinus *Lib. de perfect. justitiæ hominis*, luctam carnis & spiritus ex *Gal. V. 17.* urget, omniqve animæ fideli, positæ in corpore mortis hujus, orandum esse dicit: *Dimitte nobis debita nostra.* Et quis omnia recensere posset, cum omnes sequentium temporum veri fideles idem affirmarint, ne illis, qui in ἀκμῇ Papismi constituti fuerunt, exceptis, uti ex *Thoma de Kempis* passim liquet. Præcipue autem postquam repurgatio Ecclesiæ per D. Lutherum facta est, fermentum illud de possibilitate implendi Legem ex eadem exterminatum est, quo de abunde testantur LL. Symbolici. *Conf. Apol. A. C. p. 91. 92. 129. 130. F. C. p. 674. 675. & p. 703.* Ceterum materiam hanc de renatorum imperfectione, & quousque se sanctitas illorum extendat, solide pertractatam invenies a *Magnif. Dn. D. Hannekenio* in *Diss. de Gradibus Sanctitatis Viatoris Christiani*, ubi non tantum ortho-

orthodoxa sententia diligenter inculcatur, sed & veritas a quibusvis Novatorum paroramantibus egregie vindicatur.

§.XXII. Restat nunc, ut quid in theseos suæ defensionem proferant Adversarii, paucis disquiramus. Missis autem, quas Sociniani juxta & Arminiani hic cumulant strophis: saltem in præfenti ea juvat discutere, quæ contra hoc caput molitus est Pietistarum non nemo, qui ante aliquot annos in *Thuringia Arnstadiensibus* obstrepuit: sed hinc migrare jussus, Halam ad Magistros suos rediit, ut in illorum consortio tutius quod semel imbibit virus, nunc disseminet. Nolim hanc pugnam ad Vener. Dnn. Præceptores meos devolvi; nondum enim sic coangustatae copiae nostræ sunt, ut res ad triarios redierit: sed inter nos eam transactam velim; cum inter pares jucundissima concertatio sit, & veritas vel levissimis suffulta defensoribus superior discedat. Ac statim quidem sub initium hallucinatur commilito, *dum hanc controversiam fundamentum fidei minime concernere asserit.* Quamvis enim concedamus, sententiam Novatorum non proxime aut immediate fidem evertere, tamen consequenter illam infringit magnopere ac labefactat. Quod si enim operibus perfectio, aut absoluta renatis sanctitas tribuatur, articuli fidei fundamentales de fide & medio illam conservandi, de sufficientia meriti Christi, deque ipsa justificatione & salvatione per solam fidem consequenda misere pervertuntur, uti hæc omnia supra uberius demonstravimus. Quod in antecessum monere voluimus, ne quis cum Novaturiente putet, rem non esse magni momenti, aut quæ pro lubitu vel affirmari, vel negari possit. Ac (I.) quidem objicit ille: *Apostolum in statu gratiæ constitutum, de se dicere non potuisse, v. 14. quod sit carnalis: cum v. 5. expresse dixerit, cum in carne essemus, & cap. VIII, 9. Vos non estis carnales, sed spirituales. Ubi etiam conferri vult cap. VIII, 5. 6. 7.* Genuinum se Socini asseclam esse, perversa hac objectione docet. Eadem enim hæc loca Socinus objicit in Disp. in cap. VII. ad Rom. Conf. ejusdem Opp. Vol. I. p. 101. Deinde falsa nititur hypothesis Dissentiens, dum non distingvit inter carnales ex toto, & inter carnales ex parte, qui ex gratia sanctificationis sentiunt, se carnales esse. Quæ enim allegavit dicta, loquuntur de irrogenitis, qui proæretice peccant, ac gratia

tia Spiritus S. privati, ea tantum quæ carnis sunt, sectantur; hi enim carnales sunt, sed alio longe sensu quam regeniti; ceu illud supra exposuimus. Diversum autem esse sensum verborum Apostolicorum: *Cum in carne essemus*, a verbis textus nostri: *Ego sum Carnalis*, vel ex solo contextu dijudicari potest. Apostolus enim v. 4. dicit: *Romanos esse mortificatos Legi per corpus Christi, ut fructificent Deo*, (Atque hic est status regenitorum. Esse enim Christi & fructum ferre Deo solis renatis competit) v. 5. autem Apostolus directe opponit statui regenitorum statum non renatorum his verbis: *Cum enim essemus in carne* (loquitur in præterito, adeoque de se ut adhuc irrogenito) *passiones peccatorum* (h. e. pravæ concupiscentiæ) *quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti* (quod prædicatum irrogenitis convenit.) Atque hinc nemo non videt, hæc verba perperam a Dissidente ad textus nostri explicationem esse tracta, cum non idem subiectum sit, de quo Apostolus v. 5. & v. 14. loquatur. Neque melius huc quadrat *Cap. VIII, 9.* quia ibidem pariter legitur: *Vos in carne non estis*; quod designat Romanos non amplius esse irrogenitos. *Qui enim in carne sunt*, uti phrasin ipse Apostolus v. 8. explicat, *Deo placere non possunt*. Hinc Erasmo Smidio *Annot. in N. T. p. 1009.* εἶναι ἐν σαρκὶ, idem est, ac vivere in peccatis cum aviditate peccandi, sine pœnitentia. Contra vox σαρκικός cum de homine dicitur, denotat regeneratum, qui adhuc carnis reliquias sentit, quod imprimis probat locus maxime parallelus *1. Cor. III, 1. 2. 3. 4.* in quo Apostolus Corinthios suos haut dubie jam renatos vocat σαρκικός, statim subjungens, *ὡς νηπίος ἐν Χριστῷ*; quæ verba postrema, sunt expositio quædam vocis σαρκικός, ac probant, eam renatis esse tributam, cum esse νηπίον ἐν Χριστῷ sit effectus regenerationis. Atque sic constare putaverim, magnam esse differentiam inter has duas formulas: *Esse in carne*, & *esse carnalem*. Prius de irrogenitis dicitur; posterius de iisdem nusquam in Scriptura enuntiari, certissimus sum. Neque id alicujus momenti est, quod ex *cap. VIII, 5. 6. 7.* objicit Pietista. Non enim ibi dicitur, quod οἱ σαρκικοί, sed quod οἱ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆ σαρκὸς φρονῶσιν εἶναι autem κατὰ σάρκα, irrogenitorum est. Conf. *2. Cor. I, 17. 2. Cor. X, 2. 3.*

§. XXIII. Objicit II. Novaturiens *Apostolum dicere non potuisse ibid. quod sit venundatus sub peccatum, aut mancipium peccati, quod ei in omnibus ad nutum obsequium praestet, cum Cap. VI. 17, 20. 22. Deo gratias agat, quod credentes servi peccati fuerint, jam vero ex corde obediant; ac Cap. VII. pariter loquatur de rigore Legis & peccati, quod potens fuerit in ipsorum membris; a quo tamen jam sint liberati: it. quia Cap. VIII. 2. asserat, quod Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberaverit se ipsum a Lege peccati & mortis. Iterum falsa nititur hypothese exceptio hæc Dissidentis, qua remota universa argumentatio in fumum & auras abit. Etenim venundatum esse sub peccato, & esse mancipium peccati cum Socino l. c. ejusdemque sociis, Crello in Comment. in Ep. ad Rom. ac Przicipio in cogitat. Sac. p. 46. pro Synonymis habet, quæ tamen ut latius & strictius differunt, adeoque minime erant confundenda. Venundati namque sub peccatum sunt omnes homines, tam regeniti, quam irregeniti; at mancipia peccati sunt soli non renati, qui idcirco *servi peccati* vocantur, & in quibus dominari peccatum dicitur, Job. VIII. 34. Rom. VI. 14. 16. 17. Quod igitur Cap. VI. Rom. v. 17. seqq. attinet, docet Apostolus, quod Romani (& per consequentiam alii etiam regeniti) non amplius sint servi seu mancipia peccati, qui ei ad nutum obediant; peccatum enim in iis non amplius dominari posse, quia non sint sub Lege, sed sub gratia. Nullam autem video rationem, cur Dissidens hæc Apostoli verba ad illustrationem textus nostri adduxerit, cum Paulus de se non dicat, quod adhuc sit servus aut mancipium peccati, uti Romanos adhuc irregenos l. c. vocavit; sed quod sit venundatus sub peccatum, h. e. invitus peccet. Nec contrariatur nobis Cap. VII. 5. 6. qui non de omnimoda ac plenaria liberatione a lege & peccato loquuntur, quippe quam nec Deus ullibi promisit, nec homini post lapsum contingere posse, universa fidei analogia docet; sed aliquali tamen, eademque sufficienti, h. e. tali liberatione, qua renati a rigore & maledicto Legis, nec non dominio ac reatu peccati per Christum liberati sunt. Et hæc est splendida illa libertas, de qua Apostolus Cap. VI. & sub init. Cap. VII. prolixè gloriatur. Pari ratione se habet, quod ex Cap. VIII. 2. objicit. *Legem enim Spiritus vivificantem in C. Jesu alibi Rom. III. 27. Legem fidei* vocat; ut sensus sit: **Lex fidei liberavit me***

me a Lege peccati & mortis. Qvalis autem illa liberatio fit, & a quo fiat, modo diximus. Objicit (III) Sectarius, *per corpus Christi mortificatum dicere non potuisse, v. 15. Quod operor, non approbo; cum v. 6. dixerit: Nunc autem soluti sumus a Lege, ita ut serviamus in novitate Spiritus.* At fallitur Dissentiens, qui putat, hæc duo inter se pugnare: *Non approbare Apostolum, quod operetur; & tamen servire in novitate Spiritus.* Quamvis enim diversa esse non negemus, tamen sibi invicem contrariari inficiamur. Diversitas autem ista oritur ex diversa hominis renati consideratione, cum prior phrasit eundem, quatenus adhuc ex parte carnalis est: posterior autem, quatenus non amplius est irrogenitus, sed ex parte spiritualis, describat.

§. XXIV. Objicit IV. Oberrans commilito, *Apostolum dicere non potuisse: Non quod volo, hoc ago; sed quod odi, illud facio, quia Cap. VI. 6. legitur: Scimus, quod vetus homo noster simul crucifixus sit, ut destruat corpus peccati; & v. 11. Existimate vcs mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in C. Iesu.* Denuo vero hic fallaciam committit ille, dum ad ea loca provocat, quæ de dominio peccati suppresso agunt, cum contra verba textus nostri ad reliquias carnis respiciant. Nam quod *Cap. VI. 6.* legitur, *ἵνα καταργηθῆ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας* non infert plenariam peccati abolitionem, quod vult Dissentiens, sed *ἀεργον reddere*, metaphora a crucifixis desumpta, quorum vires paulatim magis magisque infrangebantur. Docet igitur Apostolus, vim potentiamque peccati dominium affectantis per quotidianam renovationem esse reprimendam, idque fieri *τῷ μηκέτι δελεῦεν τῇ ἁμαρτία*; quam loquendi formulam subdole omisit dissentiens, quia hac ipsa adessentia peccati etiam in renatis stabilitur. Nam si peccatum non esset in ipsis, quid causæ esset, cur Apostolus Romanos regenitos admoneret, ne ei amplius serviant? Ceterum quamvis ex h. l. pateat, peccatum virtute Spiritus aliquo modo posse supprimi, tamen quia carnis reliquiae adhuc in renatis etiam supersunt, hinc opus est, ut quotidie cum Apostolo conquerrantur: *Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio!* Simili modo Apostolus *v. 11.* de renovatione loquitur; unde de his ulterius differere, superfluum arbitramur. Objicit (V) Dissentiens, *Apostolum in regene-*
ratio-

ratione dicere non potuisse v. 17. Nunc jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum; quia Cap. præc. v. 3. dixerit: Mortui sumus peccato; & v. 7. Qui mortuus est, justificatus est a peccato. Egregiam consequentiam! Quasi vero in regeneratis peccatum plane aboleatur. Universum negocium unica distinctione tolli potest. Regeniti mortui esse peccato, & ab eodem justificati illi ceteri dicuntur, non ut non sit in iis amplius peccatum, sed ut non imputetur.


§. XXV. Objicit (VI) Seductus commilito Apostolum v. 18. 19. de se dicere non potuisse: Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio, sed quod nolo malum, hoc ago; quia Cap. VIII. 1. asseratur: quod nihil sit damnationis in iis, qui in C. Jesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum, & v. 4. Ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Et v. 12. 13. 14. Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. At enim vero omnia hæc loca textui nostro minime contrariantur. Loquuntur enim de renovatione, ac docent, renatos non ambulare secundum carnem, h. e. desideria carnis non perficere, cui opponitur ambulare spiritu, Gal. V. 16. Cum autem Apostolus dicit, quod bonum perficere non inveniat, numquid exinde concludi potest: Ergo ambulat secundum carnem & est irregenitus? Minime. Objicit VII. Pietista, verba, quæ exstent v. 21. pugnare in hac significatione cum iis, quæ Cap. VIII. 2. sequuntur. Qua ratione pugnent, non video; diversa autem esse, facile largior. v. 21. enim loquitur Apostolus de P. O. sibi etiam in statu gratiæ reliquo, quod non permittat, ut bonum, quod velit, faciat. At v. 2. Cap. VIII. disserit de liberatione a Lege peccati & mortis, h. e. quod non amplius sit mancipium peccati, aut poenam peccato ex rigore Legis debitam, mortem scilicet æternam sustinere opus habeat. Exinde tamen, quia a peccato sumus liberati, non sequitur totalis peccati abolitio.

§. XXVI. Objicit denique VIII. Apostolo in statu gratiæ constituto competere non posse, quod legitur v. 23. Video aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ &c. quia Cap. VIII. & alias per totum Cap. VI. & VIII. contrarium doceatur. e. g. Cap. VI. 12. 13. legi: Non regnet pec-

peccatum in vestro mortali corpore, it. v. 14. Peccatum vobis non dominabitur, v. 18. Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ, v. 19. exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, & v. 22. Nunc liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem. Omnes hæ objectiones non feriunt thesin nostram, sed potius eandem confirmant. Cum enim Apostolus Cap. VI. de dominio peccati infringendo agit, tacite infert, in renatis adhuc esse peccatum. Quod si enim non amplius adesset in renatis, frustranea foret admonitio Paulina: Ne sinant dominari peccatum. Interim tamen illæ phrasæ, quas objecit dissentiens, nempe peccatum non regnat aut dominatur in renatis, renati sunt liberati a peccato, sunt servi facti justitiæ, serviunt justitiæ, & quæ similia in Epist. ad Rom. & alibi inveniuntur, non contrariantur textui nostro, de reliqua carnis & peccati ἀνάγκη agenti, sed potius cum eodem salva fidei analogia & conciliari possunt, & jure etiam debent. Atque hæc sunt, quæ veritatis amore ducti, favente Summi Numinis gratia, delineare pro virili voluimus. Et uti Ecclesiæ halcyonia, ac Novatoribus eandem turbantibus meliorem mentem animitus aprecamur, ita hanc Dissertationem nostram concludimus verbis B. Lutheri, qui in aureo Comment. Epist. ad Gal. Cap. V. pag. 156. Nullo modo concedamus, inquit, hujusmodi loca, consolatione plenissima, quibus Paulus luctam carnis contra Spiritum in suo proprio corpore describit, tam ineptis glossis depravari.

S. D. G.





ULB Halle
001 507 125


3



TA 50L

WON







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1674 23

THEOLOGICA,
DE
CTISMO
TIS AT-
UTO,

7

22

vem
4. usque ad 25.
ni Numinis Gratia,
ÆSIDIO
GEORGII
ANNI,
mqve Prof. P. Alumn.
Academix Bibliothecari,
eptoris ac studiorum suo-
usque submissee de venerandi,
O.R. M DC XCIX.
lendo oppugnabit
US KEMPE,
ndensis.
BERG Æ,
EUSIGII, Acad. Typogr.

Handwritten notes:
M. S. J. F.
Berlin
S. W.
Gyobf...

